Eiuſdem fratris Ioannis Annii Viterbenſis cōmētaria ſup Myrſilum· Liber·vi·

de diuisione antiqua italie

RADVNT Greci/ Myrſilū fuiſſe patria Leſbium: profeſſione hiſtoricum: qui de bello Pelaſgico in Thuſcia & Latio contra Siculos ſcripſerit· Cauſa ſcribendi fuit Myrſilo/ſolita inter Grecos diſcordia de origine Turrenoꝝ/& Italię· Conſentit enim Italiam habitatam a Grecis/ ab hiſq; totā emanaſſe/exceptis Turrenis· Herodotus econtra/etiā Turrenos includit· Dioniſius Halicarnaſſeus Myrſilum totum ſequit̃ in primo libro: excepto tēpore aduentus Enotrii in Italiā· Et ideo nō fruſtra erunt hec comentaria: q̄uis qui Dioniſium in primo libro legit: etiam Myrſilum uideatur legere· Fiet tamē uterq; clarior/& Dioniſius & Myrſilus: his noſtris comentariis· Duo autem facit Myrſilus· Primū breuibus abſoluit: in quibus cū Herodoto & aliis conſentiat· Secundo in quibus contradicat· Primū his uerbis abſoluit dicens·

Italiam coluere: Greci: Archades: Veneti: Lygures: Ardeates: Rutuli: Siculi: Pelaſgi: Iapiges: Lacedemones: Salentini: Pelii: Eniani: Achei: Oropite: Pilii: Piſi: & eiuſcemōi. Horū prim⁹ Enotrius Archas cū Peuccino frē colonias trāſportauit ubi habitabāt tūc dicti Auſones: ubi nūc Enotria regio ē: e regiōe Peuccinorū. Hec fert̃ prima colonia ex Grecis: paulominus quindecim etatib⁹ ante ruinas Troie.

A fine huius exponere incipiā· Ruinę Troianę fuerūt anno trecenteſimo minus tribus q̄ condita fuit a Dardano Tuſco/ut enumerant Archilocus in Epitheto/ & Euſebius de tēporibus· Dardanus uero illā condidit: ut auctor eſt Beroſus/anno uigeſimo nono poſtq̄ interemerat fratrem ſuum Iaſium: qui annis iam quinquaginta regnauerat· Porro ut auctor eſt idem Beroſus/ ante Iaſiū regnauit pater eius Coritus ānis triginta tribus/quē cognatus anteceſſit Morges nomine/ ānis decem: ſed ante hūc Atlas Italus ex Electra filia annis decē & nouē: a quo Italia dicta fuit· De etatibus diſſentit Dioniſi⁹: qui in primo libro ſupputat decē & ſeptē: ubi hoc loco Myrſilus notat minus·xv·Sed Myrſilo credit̃: quia de antiquitatibus antiquiori credendum eſt· Eſt autē etas ſpatium uiginti quinq; annoꝝ: ut Xenophon docet in Equiuocis· Quare xv·etates reddunt annos trecentos quinquaginta· Quare·xxiiii· anno Iaſii uenit Enotrius Archas: quia ab eo anno ad ruinas Troię·xv·etates/ideſt trecēti quinquaginta ſupputant̃ anni· Ergo ut ex dictis patet/preceſſit Enotriū Grecum Italus annis ſex & octoginta· Nō igitur Enotrii Archades ante Italū coluerunt Italiam: qui iuniores Italo inueniunt̃: ſed illi Enotrii ante Italū: quos ſignificat Virgilius dicēs in primo Eneidos· Eſt locus (Heſperiā Grai cognomine dicūt) Terra antiqua/po-